

Latin Salutatory

PERVIGILIVM QVATTVOR ANNORVM (“The Four-Year All-Nighter”)

By Fanaye Solomon Yirga ’13

Praeses Faust, Decani aestimandi, Professores sapientes, hospites honorati, familiae almae, et condiscipuli carissimi—salvete omnes!

Est mihi honori ac voluptati vos adloqui hoc mane festivo: spe expletos, laetitia superfluentes, et, ut spero, optime merita quiete refectos. Mihi autem non de tali quiete dicendum est, sed de egestate quietis, scilicet de illo ritu scholastico pervigilii, a diligentissimis nostrum aut semel aut numquam acto, ab aliis vero multo saepius.

Paene here fuisse videtur—fortasse aliquantulum sero—cum primum apud hanc clarissimam universitatem consedimus, stylis, apparatu scholastico, instrumento computatorio et potionibus necessariis praesto, omnes ad ausum quoddam ingens parati. Et studio et nocte cito progredientibus concitati, cursum vitae nostrae delineare incepimus. Alii consilium ab initio totum perscriptum habebant, alii pauca incerta vacillantibus litterulis notaverunt, sed omnes laete prospiciebamus.

Prospiciebamus! Non deorsum ad chirographa academica, sed otiose ad murum quendam vel acriter ad adventorem bibliothecae clamoribus vel sine nictu ad imaginem moventem animalis blandi recentissimam. Quotiens, hora mediae noctis appropinquante, opus postposuimus; quotiens cum Ovidio clamavimus 'lente currite, noctis equi!' Mox, in secundum annum rite perventi, vittas innocentiae deposuimus et nos constituimus in domos, beatissimi in magnificam domum illam Cabotiensem. Scintilla spei in nostris ocellis apertis obnubilari coepit ut nos immergebamus in vitas negotiosas aut forsitan, in somniis nostris ardentissimis, in piscinam dulcissimi cafaei.

Scribebamus tamen, ut verbum verbo addebatur, gryllis acerbis Tygrisque non optatis consonantibus. Erant nonnulla non insana, erant nonnulla penitus nugalia, sed usque scribebamus, per procellas et nivales et pluviales, per fluoris electrici abruptiones improvisas, per occupationes disputatas, per crapulas immites, per clades innumerabiles amicorum Novi Portus atque per illam unicam cladem gloriosam Novorum Mexicanorum! Sescentas limas additamentaue fecimus, sententiis finibusque nonnumquam a primo lineamento radicitus aberrantibus.

Post noctem vesanam tandem prima lux accessit, nuntiata pipiantibus avibus et, sicut olim quibusdam diebus Saturni, dilectissima Manu Aeneatorum Harvardiana. Ex hoc collegio illustri eximus, delirantes exultantesque; alii audacter progredientes, alii in digitos erecti, alii confuse claudentes, errata typographica neglecta corrigentes. Sed omnes iter perfecimus! Ad finem advenimus! Pupillae defessae impetum subitum solis accomodent, ut oculis contractis hunc diem beatissimum adspicimus. Condiscipuli mei carissimi, bene dormite ac bene valetate!